



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Cognitione Dei - Quanti nimirum momenti illa fit, & quibus
praesidiis obtineri ab unoquoque hominum possit

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Caput XXVIII. Ex eo, quod Deus prima causa, & idea totius pulchri poßibilis
sit, éque excellentissimis quatuor divinæ illius pulchritudinis
proprietatibus, quàm hæc sit in illo admiranda, singularis, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54487](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54487)

CAPUT XXVIII.

Ex eo, quod DEUS prima causa, & idea totius pulchri possibilis sit, & que excellentissimis quatuor divinæ illius pulchritudinis proprietatibus, quàm hæc sit in illo admiranda, singularis, & quamcunque aliam infinitè supergrediens ostenditur.



Tempus jam est, ut à generalibus hisce nostris notitiis ad id, quod instituti nostri proprium est, & cujus gratiâ præmissæ illæ sunt, transeamus: ad demonstrandum scilicet, quàm infinita sit, nostræque omni nedum comprehensione, verùm etiam admiratione major spiritualis DEI pulchritudo. Quod tum in præsentem, tum in proximè secuturo capite, quoad virium nostrarum imbecillitas patietur, præstare conabimur: ibi quidem argumentum ducendo ex summi gaudii, & amoris effectibus, quos in suis ille spectatoribus coram visus producit: hinc verò ex tribus ejusdem maximopere eximiis, perque suam illi essentiam convenientibus prærogativis: prima, quia totius pulchri tam creati, quàm cre-

abi-

abilis origo, & fons est, dictus propterea in Sapientiæ libro (c. 3.) *Speciei generator*. Secunda, quia communis quoque, & primaria ejusdem universi idea est, *Forma* nempe, ut ait Augustinus (*Serm. 38. de Verb. Dom.*) *non formata omnium formatorum, incommutabilis sine lapsu, sine defectu, superans omnia, existens in omnibus*. Tertia, quia singulari, & quanta nullum aliquid objectum perfectione illas obtinet dotes, quæ ad augendam pulchritudinis æstimationem, & amabilitatem maximè faciunt.

2. Et ad primæ quidem vim pernoscendam, nihil ultrà requiritur, quàm probè intelligere vulgatissimum illud, & à nobis suprâ explicatum principium: *Nemo dat, quod non habet*. Hoc siquidem rite admissio, dubitari jam nequit, quin si DEUS prima, & universalis est totius pulchri tam creati, quàm creabilis causa; omnes necessariò intrâ se complectatur pulchritudines, seu quæ sunt, seu quæ esse possunt. Si enim non complecteretur omnes, quæ sunt, quonam pacto illas potuisset producere? & si non complecteretur omnes itèrò possibiles, quonam pacto eas producendi vim haberet? Neque ad enervandam argumenti hujus vim quisquam objiciat, à de-

formi parente formosam sæpe sobolem gigni, neque pictores ea semper decorari pulchritudine, quam suis imaginibus tribuunt. Respondeo enim, genitores non totam, atque unicam esse suorum liberorum causam, cum eorum formandis corporibus nihil pro virili parte sua conferant, præter materiam, quam postmodum DEUS, iis nihil cogitantibus, neque ejusmodi artem callentibus, in matris alvo figurat. Ad alterum verò exemplum, quod attinet, dico, imagines à pictore effingi, non prout homo, sed prout artifex est: nihilque ideo ad earum pulchritudinem pertinere, pulchérne, an deformis ipse sit, quæ homo est, & secundum naturale suum esse; sed solum cuiusmodi sit, quæ artifex est, & secundum formam artis, quam menti inditam habet. Quia imò hoc exemplum ad confirmationem potius principii à me positi facit. Cum indè solum pictor, & quicumque alius artifex ad pulchra opera efficienda idoneus sit, quia elegans: & decora est idea, seu forma artis, quæ illius menti inhæret, eumque in artificis specie constituit. Cum igitur quævis causa, totum suavi effectum producat, debeat necessariò ipsa habere, quidquid illi perfectionis impertit; quænam non hominum modò, sed vel Ange-

lorum intelligentia assequi valeat, quàm im-
mensa divinæ pulchritudo essentiæ sit, in qua,
velut in universali sua causa, collectæ existunt,
non solum omnes in lucem hæctenus editæ
corporeæ, incorporeæque pulchritudines,
sed & omnes illæ insuper, quæ sinè ullo limi-
te, aliæ semper aliis majores, per totam, quan-
ta est, æternitatem possent creari? Certè in
præsenti rerum universitate complura intue-
mur objecta, mirè aspectu decora, & quorum
unumquodque ad maximam nobis volupta-
tem sua specie afferendam sufficiat. Quan-
tò igitur majorem delectandi vim haberet ob-
jectum, quod in se uno congestum exhiberet,
quidquid venustatis, & decoris per totam re-
rum existentium universitatem dividitur?
Nemo sanè esset, qui ad talis novitatem spe-
taculi haud obstupesceret, inque eo contem-
plando jucundissimè defixus hæreret. Et ta-
men hæc ipsa ex tot, tamque variis, & eximiis
venustatibus coalescens venustas, utpote quæ
certis quibusdam clauderetur limitibus, ad
infinitatem totius pulchri possibilis longè mi-
nor dicenda esset, quàm sit aquæ gutta præ to-
tius amplitudine oceani. Quale igitur, quàm
que immenso intervallo quibusque aliis for-
mosius, admirabilius, & visu jucundius ob-

jectum, divinam esse essentiam putabimus: cuius infiniti decoris minimum specimen est, adunare intrà se ipsam quidquid formositatis, concinnitatis, symmetriæ, gratiarum, venustatum, & leporum in tota hac universitate dispersitū occurrit? Cùm præter hanc omnem summopere quidem admirandam, finitam tamen pulchritudinem, illam etiam simul contineat, tantò hac ampliorem, quia infinitam, quæ in ipsius omnipotentia, sapientiaque thesauris ignota nobis penitus latet: & si promeretur in lucem, mille & mille alios posset longè majores, pulchriorésque mundos, novis admirabilium objectorum speciebus exornare, & complere. O pulchritudinem, cui nihil excogitari simile potest, quæque omnes creatæ cujuslibet mentis terminos, & mensuras sinè ulla proportione transcendit.

3. Sed ut nonnullam illius speciem in mente formemus, si minùs tanto dignam objecto, at saltèm nostro humili, & crasso intelligendi modo accommodam magis; relinquamus tantisper infinitatem totius pulchri possibilis, contenti eam æstimare per comparationem cum sola pulchritudine exteriori, & corporea. Hæc, prout capite superiori demonstravimus, útque certo, & unanimi sapientum

iudicio couprobatur, non finiti duntaxat pre-
 tii est, sed infimum quoque obtinet inter reli-
 quas pulchritudines locum: imò, teste Ploti-
 no, (*En. 6. L. 3. c. 16.*) non nisi æquivoce
 cum divina pulchritudine convenit: &, uti à
 D. Thoma additur, (*1. p. qu. 45. a. 7.*) neu-
 tiquam vera ejus imago, sed vestigium dunta-
 xat, & rudis quædam umbra nuncupari mere-
 tur. Age jam, propone tibi ob mentis ocu-
 los corpus quodpiam humanum ex formosif-
 simis, quæ historiarum monumenta apparuis-
 se in terris prodiderunt: Judithæ exempli gra-
 tiâ, quæ solo decore suo armata potentissimi
 Assyriorum Ducis cor sibi mancipavit: seu
 Thamaris, & Stratonicæ, quarum oculi Anno-
 nes, & Antiochos, (*L. 2. Reg. c. 13. Val. Max.
 L. 5. c. 7.*) ceræ instar, fulgoris sui vi coëge-
 runt tabescere: sive Helenæ, cujus species de-
 cenni bello Europam, atque Asiam collisit:
 seu denique aliud, cujus venustatem similis fa-
 ma circumferat. Imò, quia nullum ipsorum
 omnes pulchri gradus, & numeros in se uno
 collegit; ceu vetus ille pictor hinc indè de-
 sumptam lectissimorum quinque corporum
 pulchritudinem transtulisse in unicum imagi-
 nem fertur. (*Cic. L. 2. de Invent.*) Sic tu eti-
 am imaginatione tua corpus aliquod elabora,
 in

in quo, quidquid peculiaris amabilitatis per
 suprà dicta, & reliqua omnia corpora disper-
 titum à natura fuerit, quodam quasi compen-
 dio adunatum, permistúmque resplendat,
 Tum, posteaquam mentem adverteris ad mi-
 ros animorum motus, quos eorum singula in
 spectatoribus suis olim ciebant, atque inde
 argumentum sumpseris aliorum, quos multò
 admirabiliores, nec antea unquam auditos,
 novum hoc ex iis omnibus coagmentatum, to-
 tàmque eorum venustatem in se uno repræ-
 sentans cieret; fac memineris, nihil denique
 ipsum fore aliud, quàm infimam, maximéque
 crassam, & plebejam inter divinæ formosita-
 tis imagines, imò neque ipsius veram imagi-
 nem, sed umbram tantummodo, & rudimen-
 tum imaginis, sed vestigium ab ea in lutum
 impressum, sed informem, & simplicem tan-
 ti exemplaris lineam: concludens postremò,
 quàm prodigiosa, & incomparabilis ea sit pul-
 chritudo, cujus repræsentatio, quamvis adeò
 manca, adeò deficiens, adeò impropria, &
 æquivoca tam eximiam vim habeat, ad specta-
 torum suorum animos in sui admirationem,
 amorémque attrahendos.

4. Conclusio, ùt vides, manifestissima
 est, sed clariori adhuc in lumine illius vim per-
 spi-

spicies, si personam esse aliquam fingas, quæ
nihil amplius sui exhibens, quàm unum capi-
tis crinem, vel digiti unguem, vel solam faci-
em umbram, tantum tamen venustatis in illa
umbra, illóque crine, aut ungue præferat;
ut spectatores incredibili, & penè magicâ ad-
mirationis, voluptatis, amorisque vi extra se
trahat. Si enim nemo esset, qui effectus tam
novos in aliis cernens, & in se experiens, non
exclamaret: Bone DEUS! qualenam erit,
quosque effectus totum corpus pariet, ubi ve-
ram, integrâque sui speciem oculis offeret?
Inquam, quispiam ità ratiocinaretur, ni-
hil expetens magis, quàm extra sipharium, &
in propatulo expositum, quale & quantum est,
contueri illud formositatis prodigium, à cujus
minima, tenuique specie tam mirè se affici, &
quodammodo incantari experitur; congru-
entissimum enim verò rationi est, ut, cùm ta-
lis secundum se ipsam, & extra omne imagi-
nationis commentum nostra res sit, talis quo-
que circa ipsam animorū nostrorū fit sensus:
sempe ut, quemadmodum certò scimus, pul-
cherrimum ex corporibus, quæ objecta un-
quam oculis sunt, vel objici possunt, infimam
secundum suum genus, imperfectissimâque
similitudinem esse inter omnes, quas arcanæ
essentiæ DEUS nobis proposuit; sic ex
ma-

ma-

maxima admiratione, & jucunditate, quam hæ in animis nostris exiguissimæ partes, tenuissimæque umbræ inimitabilis, & immensæ illius pulchritudinis pariunt, rite arguamus, quantò illa ipsa ultrà omnem comparisonem sit admirabilior, amabilior, & visu jucundior. Ah ergo! cæci miratores, atque idololatræ visibilium terreni hujus orbis formarū, quidni legitimam, & perspicuam (quod omnibus quidem facillimum est, sed vobis etiam, quàm alteri cuiquam facilius) indè conclusionem eruitis? Cur isthæc adeò imperfecta, & tamen adeò grata oculis DEI simulacra pro eo, ut animos vestros ad amorem perfectissimi eorum exemplaris excitent, ab illius sensu, & memoria potius vos avocant? Quidni intrà vos aliquando sic discurretis, si luminosa adeò sunt crepuscula, quale erit solis ipsius jubar? si tam efficaciter animos rapiunt ipsamet, corporeo luto impressa supremi Conditoris vestigia; quidnam vultus faciet, coram, & in proprio suo decore spectabilis? Nonne has ipsas species creatas auditis, quæ vestrum errorem palàm redarguunt, tacitè vobis inculcantes ea D. Petri verba, ad turbas de miraculo à se edito attonitas, (*Act. 3.*) *Quid miramini, aut nos quid intuemini?* O animæ! fal-

facibus præstigiis à vero seductæ, quid defixa
 adeò oculorum, & mentis acie inhiatis, eva-
 nidis, labilibusque umbris æterni rerum omni-
 um Authoris? Ipsum, ipsum potius intuemi-
 ni, nostræ hujus, & possibilis totius pulchri-
 tudinis immensissimum fontem. Ità profe-
 cto illæ vos admonent, ut sitis *inexcusabiles*,
 si lutea hæc summi pulchri simulacra assiduè
 spectantes, nullâ interim germanæ illius formæ
 curâ tangimini. Quid dicendum de homine
 esset, qui lucem quotidie intuens, solem, fœ-
 nus tam pulchri pulchriorem parentem, nun-
 quam curæ habuisset respicere?

5. En igitur, quonam pacto ex naturali,
 proprioque DEI jure, ut prima, & universa-
 lis sit totius pulchri tum creati, tum creabilis
 causa, incomprehensibilis, & infinite qua-
 runque aliâ major colligatur illius pulchritu-
 do. Sed manifestiori etiam consecutione
 idem eruitur ex altera, cujus supra memini-
 mus, æquè necessaria, pèrque suam illi essen-
 tiam conveniente prærogativa: quatenus sci-
 licet unicum, & commune exemplar ipse est,
 id cujus imitationem quævis pulchri species
 producit. Id porrò ut planius intelliga-
 tur, sciendum est, neminem ex consilio, &
 ratione operantem, externi quidquam operis
 mo-

moliri, quin antea illius ideam mente contem-
 piat. Præterea, ideam hanc posse esse dupli-
 cem, alteram universalem, nempe ipsam ar-
 tem, ad quam opus efficiendum spectat, & se-
 cundùm quam non ipsum duntaxat, sed & cæ-
 tera omnia ejusdem generis conformari pos-
 sunt: alteram verò singularem, nempe cer-
 tam unam imaginem, quam ex omnibus aliis
 intrà eandem artem comprehensis artifex pe-
 culiariter deligit, & propositam sibi habet,
 tanquam operis faciendi exemplar, & regulam.
 Denique, in prima illa generali idea, quam esse ipsammet artem dixi, totam conti-
 neri, & quidem cum longè ampliori mensu-
 ra, peculiaris cujusque operis, ad illius nor-
 mam effecti, pulchritudinem: tum quia hæc
 ibi continetur absque iis defectibus, qui sæpe
 extrà prodeunti hæc vel illa de causa adhære-
 scunt; tum quia præter ipsam innumeræ si-
 mul aliæ ibidem continentur diversorum ope-
 rum species, quæ secundùm multiformem
 ejusdem artis, ideæque regulam effici possunt.
 Idque probè intellectum à Cicerone est, (In
Orat. ad Brut.) scribente: *Nihil est in ullo ge-
 nere tam pulchrum, quo non pulchrius id sit, unde
 illud, ut ex ore aliquo, quasi imago exprimat, &
 quod neque oculis, neque auribus, neque ullo sensu*
 per-

percipi potest; cogitatione tantum, & mente complectimur. Itaque & Phidiae simulacris, quibus nihil in eo genere perfectius videmus. & his picturis, quas nominavi, cogitare tamen possumus pulchriora. Nec verò is artifex, cum faceret Jovis formam, aut Minervæ, contemplabatur aliquem, è quo similitudinem duceret; sed ipsius in mente insidebat species pulchritudinis eximia quædam, quam intuens, in eaque defixus, ad illius similitudinem artem, & manum dirigebat. Unde postea acutè intulit Seneca, artificem plus delectari effectione operis, quàm ipso opere effecto: quippe qui illud efficiens habeat præ oculis ideam artis, spectaculum, ceu externo suo opere pulchrius, sic etiam intuenti jucundius. (Ep. 9.) *Artifici jucundius est pingere, quàm pinxisse. Non æquè delectatur, qui ab opere jam perfecto removit manum. Jam fructu artis suæ fruatur: ipsa fruebatur arte, cum pingeret.* His itaque constitutis dubium esse nemini potest, quin DEUS, cum artifex sapientissimus sit, summæque semper cum ratione, & prudentia operetur; nihil extra se efficiat, cujus absolutissimam delineationem, atque ideam intrâ se non conceperit. Unde & Severinus Boëtius cum eo loquens sic scribit: (L. 3. de Consol. Met. 9.) *Tu cuncta supremo ducis ab exemplo,*

pulchrum pulcherrimus ipse mundum mente gerens, similique ab imagine formans, & Philosophi quidam apud Clementem Alexandrinum, (L. 5. Strom.) mentem divinam mundum intelligibilem, & exemplarem vocabant, cujus noster hic imaginem referat. Sed quidnam esse tandem hanc ideam, atque formam dicemus, qua æternus faber ad sua exprimenda indè opera utitur? Ojectumne aliquod, creatorum artificum more, extra se conceptum, suaque ab essentia distinctum? absit à nobis tale quid suspicari. Nimiùm quippe infinitam perfectissimi illius Effectoris virtutem dedeceret, operationum suarum rationes, modos, exemplaria, atque regulas aliunde mutuari. Non potest illius ars, & idea ab essentia distingui: sed unum prorsus, atque idem cum eo est, tam æterna, immutabilis, & perfecta, quàm ipse. Quæ cum ità se habeant, supraque jam viderimus, in artis idea totam excellentiùs contineri operum, quæ secundùm eam sunt pulchritudinem; nihil porrò superest, nisi ut ex dictis colligamus, in divina essentia, tanquam in universali, & perfectissima omnium, quæ vel factæ sunt, vel fieri possunt, arte, atque idea totam excellentiùs contineri, sive quæ creata, sive quæ creabilis est, pulchritudinem.

6. At-

6. Atque hinc splendida occurrit , nec
difficilis conceptu imago , secundum quam fas
sit , infinitam DEI pulchritudinem sibi con-
templandam objicere. Ea autem hujusmo-
di est : imaginetur , ut insignibus Architectis
mos est , servare in conclavi aliquo parva è li-
gno , vel gypso editorum à se operum simula-
cra ; ita super orbe lunari vastissimam pinaco-
thecam extare , ubi DEUS ordinatim disposi-
tas habeat rerum omnium pulchrarum , quas
vel creavit , vel creaturus est , formas singulas
perfectè respondentes æterno exemplari di-
vinæ suæ artis. Putet , in admirabile adeò
theatrum se ingredi , & jam totum simul , jam
particulatim visu obeat : tum post initam se-
cum rationem , quàm incomparabilis scena il-
la foret , ubi omnes tam multæ , tam diversæ ,
tam eximiæ mundi , atque ævi totius pulchri-
tudinis , ad indiscretam veri speciem expressæ ,
unumque collectæ sub obtutum prostarent ;
concludat secum ipse , hujusmodi est , imò si-
nè ulla comparatione pulchrior , admirabili-
or , visûque delectabilior DEI mens , atque es-
sencia. Ità profectò extra omnem compa-
rationem formosior : idque tribus de causis.
Primò , quia in pinacotheca prædicta solas vi-
dere esset res pulchras , in lucem jam edita , &

suo tempore edendas, quæ etsi plurimæ, & præstantissimæ sint, ultra certum tamen seu numeri, seu dignitatis modum non exeunt. Deinde, quia formæ, ibi occurrentes, distinctæ inter se forent, nec proinde oculorum obtutus in tanta pulchritudinum varietate posset plenam usquequaque, & toti summæ parem, sive ab omnibus, sive à singulis delectationem haurire. Postremò, quia rerum viventium simulacra sensu illic, & vitâ carerent, longèque inferiora rebus essent, quas exprimunt. At in mente divina cernere est exemplaria, non omnium modò rerum pulchrarum, quæ in lucem prodierunt, vel prodituræ aliquando sunt; sed aliarum insuper, atque aliarum, quæ per infinitam supremi effectoris virtutem possent ultra omnem numerum, & sinè ullo pulchritudinis sine produci. Neque ullius rei exemplar ab altero ibi distinguitur, sed tota illa pulcherrimarum specierum infinitas, absque minimo in singulis nativæ, propriæque formositatis suæ detrimento secundum unicam, ut Dionysii Areopagitæ verbis utar, (*De Div. Nom. c. 5.*) *supraessentialem copulationem*, in unum colligitur omnino indivisum, & summè simplex objectum. Ac demum usque adeò nullum ens creatum mortuo modo,

mi-

minúsque actuosum, & perfectum ibi existit, quàm in se ipso, ut etiam substantiæ naturâ inanimæ in perfectissimo illo suo exemplari vivant, quæque in se ipsis corruptioni obnoxia, multisque inquinatæ defectibus sunt; immutabilem ibi, sincerissimamque, & omnibus absolutam numeris pulchritudinem habeant. Hunc itaque in modum ex eo, quòd DEUS prima, æterna, & universalis idea rerum omnium, sive existentium, sive possibilium sit, promptum cuique est, illum concipere, tanquam objectum, ultra omnem mensuram pulcherrimum, omnésque intrâ se continens, non unius tantùm præsentis mundi, sed & innumerabilium, qui præterea creari possunt, pulchritudines in unicam, purissimam, infinitam, & sempiternam pulchritudinem ineffabili modo collectas.

7. Imò ex eadem ratione meliùs adhuc DEUS concipi poterit, non utique velut ens pulchrum, & pulcherrimum, sed veluti ipsamet pura putà, simpléxque, & universalis pulchritudo. Adeò ut, quemadmodum lux, neutiquam dicitur lucida, sed forma potius, unde, quæcunque sunt lucida, id nominis mutantur, eò singula plùs, vel minùs talia, quòd ipsam plùs, minùsve participant; sic esse divi-

num, quod ipsissima pulchritudo, nec aliud, quàm pulchritudo est, nequaquam mente apprehendatur, sub nomine composito pulchri, sed sub mera notione illius simplicis formæ, unde pulchra omnia habent, ut sint, & dicantur talia singula plùs, vel minùs pro ampliori, vel minori mensura, secundùm quam illa ipsis se impertit. Neque id factu difficile erit, dummodo advertatur ratio, propter quam in rebus creatis, quod pulchrum est à sua pulchritudine, & peculiaris quælibet pulchritudo ab universali, & omnifaria distinguitur. Distinguitur primò apud nos, quod pulchrum est, à sua pulchritudine, quia cùm hæc sit aliquid substantiæ illius superadditum, & ab ea separabile, nequit illud, quantum quantum est, esse pulchritudo, nihilque aliud, quàm pulchritudo: sed præter hanc aliquid etiam ab ipsa diversum in se habet. Quòd si, veluti in Eucharistiæ Sacramento, destructâ panis substantiâ, sola illius accidèntia, color, sapor, atque odor supersunt; ità DEUS, omnem corporis pulchri substantiam auferens, solam, unde pulchrum erat, extimam illius speciem relinqueret; hæc profectò, ceu omnibus patet, nihil, præter meram pulchritudinem foret, neque propriè loquendo, posset aliquid pul-

pulchrum, sed pulchritudo potius vocari. Distinguitur itidem certa, & peculiaris quælibet pulchritudo, cujusmodi est quæcunque in rebus creatis reperitur, à pulchritudine absoluta, & universaliter concepta. Prior enim, quantumcumque sit, nunquam est tota pulchritudo possibilis, sed tanta, & non amplior, hujus, & non alterius generis, semperque potest crescere, sed nunquam eò usque, ut alia major nequeat produci. Exemplo sit pulchritudo Helenæ, præter quam multæ aliæ diversæ pulchritudines, putà florum, ædificiorum, aliorumque humanorum vultuum cernuntur: ut proinde nuncupari nequeat pulchritudo sine ulla terminationis, & discriminis nota, sed hæc peculiaris pulchritudo ad hoc solum genus, & intrà hanc mensuram contracta. Sed enim concipe animo ideam universalem pulchri, nimirum non hanc, vel illam pulchritudinis speciem, sed amplissimam illam formam, ex qua diversimodè participata peculiare omnes tam multæ, tamque variæ existunt, florum, animalium, spirituum, & aliarum, quotquot sunt possibles, substantiarum pulchritudines: huic certè nullum genus, nullusque gradus pulchritudinis potest deesse: imò amplior multò esse debet totà illà, quæ in rebus pul-

chris jam productis elucet, ut tot aliis pulchrioribus, quæ produci adhuc possunt, tanquam earum forma se imprimat: nec proinde ullus in ea reperiri terminus potest, aut quidquam eâ concipi majus. Hæc porrò universalis forma omnis pulchri, quæ, propriè loquendo, non aliquid pulchrum, sed mera pulchritudo est, quæque omnes mensuras, & diversitates pulchritudinis sua immensitate complectitur, adeò ut nihil extra ipsam, nisi per speciem ab ea sibi impertitam, reperiri queat pulchrum; hæc, inquam, adeò pura, adeò interminata, adeoque omnimoda pulchritudo, nusquam omnino, præterquam in DEO potest occurrere. Imò, si fingeretur extra ipsum existens, multò ibi minùs amabilitatis haberet, quàm nunc habeat in ipso. Nam vel conciperetur, tanquam inter plurimas res pulchras divisa, & dote unitatis careret; vel tanquam nulli substantiæ inhærens; & tunc merum, mortuumque accidens foret. At in DEO, sinè ulla sui divisione existit, usquequaque solida, tanquam unicum, simul infinitum, simulque simplicissimum ens: & instar perfectissimæ substantiæ, ac vitæ existit: nec aliud quidquam revera, nisi talis pulchritudo essentia DEI est. Nam primò, quidquid in ipso occurrit, est pulchrum,

chrum, & supra quàm pulchrum, neque id per ullam extrinsecùs ipsi additam formam, sed per se ipsum: atque ità nihil in eo, nisi purissima pulchritudo est, pulchritudo essentia, pulchritudo mens, pulchritudo voluntas, pulchritudo vita, pulchritudo denique, quidquid de illo tot varia illius nomina nobis intelligendum objiciunt. Præterea, ceu ejus pulchritudo idem est cum essentia, sic fieri non potest, quin ad hujus modum perfectissimè subsistat, & vivat. Denique, cùm ipse absolutissima, & universalis forma totius pulchri possibilis sit, nec quidquam extra ipsum tale esse possit, nisi quatenus ipsius particeps; manifestissimè apparet, nullam posse alibi pulchritudinem reperiri, quæ hanc vel excedat, vel æquet. Etenim neque ulla forma plus perfectionis, & decoris impartire alteri potest, quàm ipsa in se habeat, adeò ut illud per id solummodo, quod ab ea accepit, eâ præstantius evadat; neque forma infinita, cujusmodi necessario est idea totius pulchri, potest sese totam impartiri substantiæ capacitatis finitæ, cujusmodi necessario sunt creatæ omnes substantiæ; nisi fortè admittamus fieri posse, ut sigillum materiæ, cui applicatur, plures imprimat, pulchriorésque figuras iis, quas in se continet:

aut quando materia centies minor eo est, plus quàm centesimam sui, & figurarum suarum partem ei imprimat.

8. Quod si per sigilli hìc commemorati exemplum videre adhuc clariùs te juvat, quàm immenso intervallo divina pulchritudo omnes alias ad similitudinem sui conformatas excedat; imaginare adamantem magnitudinis infinitæ, variisq; per universam suam superficiem cælaturis distinctum, nec procul indè orbem argillaceum; vastæ & ipsum, sed finitæ amplitudinis, cui infinitus ille adamas, ex omni circum parte se applicans, totum undique imaginibus suis consignatum relinquat. Rogo, num sibi illum propterea similem omnino reddiderit. Negabis procul dubio: nam, præterquam quòd imagines ibi sunt adamantinæ, hìc verò argillacæ; hæ ipsæ, secundum materiam inferiores, non nisi finita, ideòque exiguissima portio aliarum dici poterunt, quæ in pretioso illo exemplari ultrà omnem modum plures supersunt, & alteri adhuc globocenties majori, imò millenis, millenisque aliis, itèm centies majoribus consignandis sufficerent: quin tamen omnes in his quoque impressæ imagines nullam habere proportionem possent cum aliis omnino infinitis, quas adamas

mas etiamnum retineret, & secundum quas omnes nequivisset materię finitę applicari. Transferamus jam exemplum ad summam DEI pulchritudinem. Hęc cum infinitarum omnium, quę creari possunt, pulchritudinum idea unica sit; earum quoque omnium formas in se habeat, necesse est. Quid enim in hac mundi universitate creanda DEUS fecit? Nihil sanę aliud, quàm quod infinitus ille adamas fecisset argillaceo, & finito orbi effigian- do se applicans. Sic enim & ipse ignobili, ac finitę mundi materię infinitam admovit pulchritudinem suam: non tamen totam, sed quantę hęc capax secundum finitam suam magnitudinem erat: nec omnia illius lineamen- ta, sed exiguissimam solummodo eorum par- tem, qualis nimirum quęcunque finita præ to- to infinito est, ibi potuit imprimere. Creet, age, alterum mundum, centies hoc præsentem amplio- rem; creet mille alios eadem semper centupla proportione alium alio majores. Un- quàmne creare tam multos poterit, ut, quid- quid pulchri in essentia sua habet, in iis totum omnino exprimat? nullo certę modo unquam poterit. Cum enim fieri nequeat, ut eorum ullus capacitatem habeat plüs quàm finitam, vel, quotquot creati fuerint, numerum fini- tum

tum excedant; nunquam fiet, ut divinæ pulchritudinis imagines iis omnibus impressæ sint plus quàm finitæ, ut proinde comparari, & proportionem habere nequeant cum suo infinito exemplari: quod, utcunque ampliùs, ampliùsque se impertiat, & pergat sui lineamenta in novis substantiis creatis exprimere; necesse est tamen, ut infinitâ pulchritudinis exsuperantiâ prætergrediatur, nedum quamcunque suam imaginem, sed & totam simul exterrarum suarum imaginum universitatem. Unde sunt præclara illa nomina, quæ vel Ethnici sapientes ipsi attribuunt, vocantes alii *pulchritudinem sinè imitatione*, ut Trismegistus; (*Pim. c. 4.*) Alii *superpulchrum absque mensura*, & *omnis pulchritudinis florem*, ceu Plotinus; (*En. 6. L. 7. c. 32. & 33.*) Alii *profundum*, & *immensum pulchritudinis pelagus*, ceu Plato (*In Conu.*) & Alcinous. (*c. 10.*)

9. Nec nulli usui, ad eandem illius exuperationem sensibus admovendam, & vividius repræsentandam, alia erit imaginaria comparatio, quam pro coronide secundi hujus argumenti libet hic subdere. Age igitur, fingamus, omnipotentiam divinam intrâ amplissimum vas stillatorium, creatas omnes consistere tum corporeas, tum spirituales substan-

ti

tias, è quibus hìc mundus componitur: èque
ipsis ità congestis, ceu fieri in floribus solet, e-
liquare, quidquid pulchritudinis habent, ità
ut solùm id remaneret, & à quavis re alia fe-
cretum: quemadmodum in Eucharistiæ Sa-
cramento solæ, suàmque extra substantiam pa-
nis, & vini species supersunt: neque hoc
tam mirabili opificio contentam, stillatio il-
litot, tamque diversarum pulchritudinum sic-
co vitam, sensum, atque intellectum infunde-
re: ità ut ens quoddam indè existat, cujus u-
na hæc sit natura, totam esse, quæ dispertita
in præsentì rerum universitate fuerat, pulchri-
tudinem. Quid ais, Lector, de tali prodigio?
qualis, quàmque extraordinaria videtur tibi
fore novi hujus entis formositas? Enim verò
infiari nequis, majorem futuram ei vim in-
citandi, & stupore percellendi intuentes, quàm
formosissimo cuilibet hujus mundi objecto,
imò & formosissimis omnibus ejusdem obje-
ctis unà simul spectatis. Quippe ubi aspici-
endum se præberet, & majori unitate colle-
ctum, & ab omni defectuum contagio sincerum,
quidquid venusti, speciosi, & amabilis per ea
omnia dividitur. Sed quid porrò? possètne
illa vocari pulchritudo universalis, forma, &
idea totius pulchri possibilis? imò tam longè
in-

indè abesset, quàm finitum quidvis longè est ab æquando infinito. Quantumcunque enim admiranda, & inexplicabilis videatur, certa tamen, ac peculiaris quædam pulchritudo esset, ex iis solis generibus constans, & intrà eas tantùm mensuras contracta, ex quibus constabant, & intrà quas contrahebantur substantiæ, unde est expressa. Quare non posset se dispartiendo, & imprimendo pulchras reddere universas res possibili, sed certum solummodo earum numerum, quot nimirum illæ erant, in quibus antequam indè traheretur, manebat. Nec talis esset, ut à nulla alia posset excedi: quin imò tot aliæ eâ majores possent existere, quot sunt mundi, ab hoc nostro diversi, eoque millenis vicibus pulchriores, quos DEUS adhuc potest creare, & ex quibus, si crearentur, eliquari, exprimique alia pulchritudo posset sinè ulla comparatione amplior. Quamvis nè illa quidem foret, nisi certa quædam universæ pulchritudinis pars, atque species, capax pluries, & pluries in infinitum augeri: sed ità, ut nunquam non modò adæquare divinam pulchritudinem, sed nec plus quàm minima illius portio esse posset. His ergo præmissis, intuendam tibi propone, quam finimus, pulchritudinem ex omnibus hujus mun.

mundi substantiis in unum quasi succum expressam, qua nihil concipere amabilius potes, quæque, si videri oculis posset, incredibili admirationis, & voluptatis sensu te afficeret: propone tibi illam, dico, veluti sphaeram quandam per mille, vel plura passuum millia extensam. Tum, ubi aliquantisper in illius contemplatione, & admiratione hæseris, ad divinam pulchritudinem mentis oculos refer: pulchritudinem scilicet, non hujus, vel illius certi generis, sed omnia complectentem, atque excedentem genera, utpote quæ universalis forma est totius tam creati, quàm creabilis pulchri, potens quocumque se ipsam nihilo applicet, non unum, aut certum, vel mille, sed innumeros statim exprimere infiniti sui decoris participes mundos. Eam, dico, ante mentis oculos pone, veluti orbem quemdam incomparabilis formositatis per imaginaria quævis spatia sinè ullo limite effusum, cujus centrum ubique sit, circumferentia nusquam: & ad hujusmodi speciem oppressum nimia admiratione spiritum colligens, exclama: O pulchritudo supra omnem pulchritudinem, inò quæ sola dici pulchritudo, sola suspici, & amari mereris, ceu illa, per cujus imitationem habent, ut sint pulchra, & in cujus

jus

jus comparatione illico esse definunt pulchra quæcunque objecta creata.

10, Succedunt tertii argumenti locò, quatuor pulchritudinis dotes, à Platone, & Dionysio Areopagita observatæ: (*Pl. in Conv. Dio. de Div. Nom. c. 4.*) quæ, & quantò excellentiùs cuivis objecto insunt, tantò illius pulchritudinem magis commendant; nec ulli propriè magis, atque eximiè conveniunt, quàm DEO. Eæ verò sunt: prima, ut pulchritudo immutabilis sit, nec deficere valens, aut minui: altera, ut nihil defectûs, & turpitudinis admistum ibi habeat: tertia, ut nulla externa ope, & arte egeat: quarta, ut non solum sibi plenè sufficiat, sed ad extrà etiam redundet, seque in alios propagandi vim habeat. Examinemus singulas, & perspicuè agnoscamus, quàm longo intervallo divina pulchritudo in nullis non earum quamcunque aliam excedat, quæ à nobis concipi potest, ac præcipuè corpoream, quæ, utpote notior, pluris æstimari à mortalibus solet. Ordiendo itaque à prima, nimirum ab immutabilitate, hanc certè nusquam reperire est in creatis, etiamsi incorporeis objectis: cum ex iis nullū suamet virtute prorogare sibi existentiam, vel ad punctum temporis queat. Sed multò notabiliore ejus de-

fe.

fectu corporeæ, ac sensibiles formæ laborant, mille casibus continenter subjectæ, brevissimumque intrâ tempus occidæ; cùm quotidie videamus, quantam morbus, mutilatio, vulnus etiam pulcherrimam faciem deformandi vim habeat: imò quàm solus temporis cursus per sese, & sinè ulla vi externa sufficiat ad eam rugis signandam, & juvenili suo flore exuendam: adeò ut nîl pristini decoris retineat, vixque esse agnoscatur, quæ fuerat: qualem in speculo Helena jam anus se intuens, teste Ovidio, inhibere lacrymas nequit, sibi que displicet, (*Lib. 15. Metaph.*) & *secum, cur sit bis raptâ, requirit.* Nè de morte interim loquar, quæ paulò post superveniens deprædatur tenues illas venustatis reliquias, queis senectus pepercerat: & quàm sæpissime in ipso ætatis flore irruens, subita depopulatione formosissima paulò antè corpora penitùs vastat, éque vernante gratiarum viridario in squalentis deserti horrorem commutat: *Possint ut juvenes videre fervidi collapsam in cineres facem.* (*Hor. L. 4. Ode. 13.*) En igitur, quidnam sit ea corporis venustas, quæ à cæcis mortalibus tanto in pretio habetur, potentibusque adeò illecebris ad se animos rapit: nempe *exigui donum breve temporis,* (*Sen. in Hyppol.*) cadens stella, pompa

M m m

præ-

præteriens, theatrum inconstantia, annorum præda, oculorum ludibrium, splendens fragilitas: cuius appositam nobis natura, in floribus tam decora, tamque subito evanida specie, repræsentat quot annis imaginem, ceu admonens notat (*Plinius L. 21. c. 1.*) *Que spectatissime floreat, celerrime marcescere.* At hæc diu manendi impotentia, & proximi occasus necessitas, quotusquisque non videt, quanta externæ pulchritudinis imperfectio sit, quamque illius æstimationem diminuat? Cùm, quisquis eam spectat, certissime noverit, haud sibi licere ad longum tempus ea frui, sed fore propediem, ut ii oculi, siderum instar nunc micantes, in tenebricosas specus convertantur: genæ illæ, venerum, & leporum sedes, in fameniam, ac vermes ebulliant: os illud melleam suavitatem spirans, immundum foetorem expiret: vultus ille denique, ex cuius aspectu tantum voluptatis capit, præ situ, præ squalore, præ tabo, & putredine nauseam sibi vel obiter visus cieat. Quod si aliquibus Medæ succis fragilis illa, & deficiens venustas servari ita posset, ut nulla temporis longinquitas, nulla morborum intemperies, nulli casuum adversorum insultus illius minuendæ, immutandæque vim haberent, sed qualis est in spe-

cta.

statissimo juventæ suæ flore, talis perpetuò duraret, recens, vivax, incorrupta, immutabilis; quantò tunc illa majori in pretio haberetur, quantòque efficacius ad amorem sui animos traheret? At enim numquid non talis, ita perpetua, ita corruptionis nescia, ita extra omnem mutationis aleam, ita semper in summo decore suo stabilis divina pulchritudo est? Nonne quisquis eam amat, eaque delectatur, omni procul dubio scit, nunquam fore, ut propter ullam seu casuum varietatem, seu temporum decessionem, sui objectum amoris deficiat, suæque minuat delectationis materia? Quantum igitur stabilitatis hujus tam perpetuæ, tamque semper sibi similis causâ præhaberi meretur fugacissimo corporeæ cujuslibet venustatis nitore, quamvis nulla cæteroqui dote alia ipsi antecelleret? Philosophorum sanè multis, & Platonice nominatim adeò necessarium, summique visum momenti decus hoc est, ut veram pulchritudinem non posse, nisi in substantiis immortalibus, & perpetuis reperiri docuerint. Perinde quasi ita secum differerent: Pulchritudo est primarius, imò unicus amoris scopus, & finis: atqui gravis plus nimio cruciatus amanti est, si unicum voluntatis suæ scopum, & finem repente sibi vi-

deat deficere. Quamobrem parùm provida, nè dicam crudelis erga nos fuisset natura, si, cùm tam acrem nobis ad pulchrum amandum propensionem indiderit, veram pulchritudinem in substantiis constituisset caducis: nec veriùs imperfectam solum aliquam illius similitudinem in his adumbrasset, quantum sat esset, ut indè excitaremur ad cupiditatem perfectissimi, æternique carum exemplaris, quod amanti nunquam deficit, & cuius tantummodo gratiã amandi facultatem nobis tribuerat.

II. Quid porrò de altera divinæ pulchritudinis dote dicemus, plenitudine nimirum, & sinceritate, per quam nihil in ea desideretur proprii, nihil admisceatur contrarii? Nonne hinc etiam luculentissimè apparet, quantum illa supra cæteras omnes pulchritudines emineat? apparet procul dubio. Nam primò intuendo corpora terrena, & mortalia, nullum eorum unquam extitit, perfectè adeò, atque omnimodis pulchrum, ut nihil in eo vel circa totius mensuram, vel singulas partes, vel harum inter se proportionem, vel coloris speciem, vel motuum concinnitatem, mendosum occurreret, sive ulterioris perfectionis desiderandum superesset. Quemadmodum à prudenti illo pictore solerter animadversum est,

est, cum expressurus absoluti decoris effigiem formosissima quinque corpora sibi ad exemplar proposuit, & ex iis, quod in unoquoque magis emerit, collegit. Neque enim (ait Tullius) putavit, omnia, quæ quæreret ad venustatem, uno in corpore se reperire posse: ideo quod nihil simplici in genere omni ex parte perfectum natura excolivit. (2. de Invent.) Sed, licet etiam corpus aliquod reperiretur, cui ad summam, omnibusque absolutam numeris pulchritudinem nihil deesset; hujusmodi tamen perfectio in sola exteriori illius superficie apparet; nam cæteroqui, si noster obtutus, secundum Aristotelis, & Boëtii observationem, posset illius cutem pervadere, & viscerum penetralia subire; quam multa ibi visu deformia, in sæcibus, aliisque tetræ humoribus cerneret, quæ sub speciosa illa incrustatione, ceu sub marmorei sepulchri tegumento cadaverum putres reliquæ delitescunt? (Boët. L. 3. de Consol. Prof. 8.) Si linceis oculis homines uterentur, ut eorum visus posset obstantia penetrare; nonne introspectis visceribus illud Alcibiadis superficie pulcherrimum corpus fœdissimum videretur? Quare manifestum apparet, nullum posse in terris tam puræ, perfectæque pulchritudinis corpus existere; ut nihil fœdi, oculisque minus gra-

ti in se habeat. Præterea quibusvis corporibus, etiam gloriosis, & divina virtute ad immortalitatem reformatis, hæc inest necessaria imperfectio, ut non unam in quavis sua parte communem, & eandem pulchritudinem habeant, sed plures potius singulas singularum partium proprias, nempe hanc oculorum, illam genarum, aliásque aliorum membrorum: quorum nullum æquè pulchrum est, ac totum corpus, neque tota corporis pulchritudine, sed quodlibet sua particulari, atque propria. Unde fit, ut nullum, esto perfectissimū corpus possit secundum omnem sensū dici in quavis sui parte penitè pulchrū, cū in earum nulla totam suam pulchritudinem colligat. Extendendo denique proportionem ad omnia objecta creata, etiam corporeæ concretionis expertia, quemadmodum certissimè constat, nullum esse in iis omnibus, quod tam secundum suam essentiam, quàm secundum suas reliquas dotes finitum non sit, & cui proinde infinitè plus perfectionis non desit, quàm contigerit; ità æquè certum est, nullum eorundem esse, cujus pulchritudo certis limitibus non arctetur, infinitèque minor sit, quàm esse posset. Concipiamus igitur mente objectum aliquod, cui nullum genus, nullúsque

de-

desit pulchritudinis possibilis gradus : cujus
 quævis pars non solum pulcherrima, & sine
 ullo deformitatis nævo sit; verum etiam tam
 pulchra, quàm reliquæ simul omnes, ipsùm-
 que totum. Qualenam perfectissimæ, & o-
 mnimodæ in quavis sua parte pulchritudinis
 prodigium id foret, quantoque majori admi-
 ratione, & voluptate intuentes afficeret, quàm
 illum aliud ex omnibus, quæ unquam vel ex-
 titerint, vel extitura sint? Atqui tale, perfe-
 ctèque adeò pulchrum, nec aliud, quàm pu-
 ra, & tota pulchritudo est summum esse divi-
 num; nam & omnes posibles pulchritudi-
 nes sua infinitate complectitur, & omnes pa-
 riter sua simplicitate in unicam, penitusque
 indivisam pulchritudinem cogit. Quapro-
 pter, undeunde spectetur, nihil in eo appa-
 ret minus toto ipso intuentibus gratum, nihil
 cui quidquam novæ amabilitatis adjici queat,
 nihil, quod purissima non sit, & quanta opta-
 ri potest, nempe omnino infinita formositas.
 O DEUS! & in tota tua essentia, & in quacun-
 que peculiari perfectione ultra omnem mo-
 dum pulcherrime. O theatrum! possible
 quævis pulchri genera exhibens, neque illa
 quidem alia alibi dispersita, sed in unicam o-
 mnia, & simplicissimam speciem collecta.

M m m 4

Quis

Quis te non amabit, si cordis, & sensus aliquid habeat? Quisve te cognoscens, aliud quidquam præter te admirari poterit? *Valde mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum.* (Esther. c. 15.)

12. Adde jam dictis tertiam perfectæ pulchritudinis proprietatem: nempe ut nequam aliunde mendicata, & fucò accersita, aut adventitia substantiæ sit, sed, quantum fieri potest, intima, & naturalis eidem. Nam quomodo pulcher verè dici poterit vultus, cui ad venustatem opus est, comi, lævigari, pingi, distendi, totque adscititia sibi circumponere ferici, auri, unionum, gemmarumque ornamenta, ut quod aptè scripsit, (Ov. de Rem. Am.) *Sæpe, ubi sit, quod ames, inter tam multa requiras, usque adeò pars minima est ipsa puella sui: & oculus, per mortua illa pulchritudinis parerga evagatus, dicat tandem, ubi nam vera, & propria est pulchritudo? externa id genus præsidia opulentum quidem, & splendidè ornatum corpus reddere possunt, formosum haud possunt, imò palàm faciunt, abesse ità se comenti illud decus, quod tam sedulò aliunde accersitur: adeò ut ei quoque dici meritò possit, quod vulgari & inficeto cuidam Helenæ pictori dictum est:*

(Cl.

(Clem. Alex. Pæd. c. 12.) *Cùm non posses pulchram facere, fecisti divitem.* Vera pulchritudo talis per se est, nec ullo fuce, ullisque lenociniis opus habet, ut placeat. Demas licet, quidquid circa ipsam est, nihil de ipsius gratia, & amabilitate detraxeris. Quare Verbum divinum nativam lilii venustatem quantumcunque regalium Salomonis indumentorum splendori anteposuit, ceu quæ nequaquam horum instar adscititia, juxtaque exui, ac indui facilis, sed naturæ privilegio, atque munere penitus insita illi est. Unde etiam licet manifestè colligere, quantum divina pulchritudo aliis quibusque antecellat. Etenim res creatæ, etsi intrinsecus, & naturæ suæ vi pulchræ sint, non tamen ipsæmet sua dici pulchritudo possunt: sed hæc superadditum quidpiam iis est, ceu corporibus color, & spiritua- lia substantiis incorporeis decora: ut proinde, qui eas propter pulchritudinem amat, non tam ipsas, quàm aliquid ab ipsis distinctum amet. Imò neque illa pulchritudo, quæ in mera earum essentia consistit, potest penitus, atque omnino earum propria censer: quippe quam neque ipsæ sibi dederunt; neque conservare, ac tueri suis viribus possunt: quæquæ, licet ab iis habeatur, non tamen ad

earum, sed ad sui tantum Conditoris jus pertinet: capax ipsa etiam subiectionis hujus respectu vocari, qualis respectu sui fructus vocata est à Bione exterior venustas, nempe *alienum bonum*. (*Laërt. L. 4.*) At longè secùs in DEO evenit, qui totam à se uno, quemadmodum infinitam suam essentiam, sic & infinitam suam pulchritudinem habet: cùm hæc nihil aliud, quàm essentia ipsius sit. Unde fit, ut idem sit illi esse, ac pulcherrimum esse, neque ab ullo queat propter formositatem suam diligi, quin merè propter se diligatur: meritò hinc dictus à Plotino, *Amabilis, & amor, quia pulcher à se ipso, & in se ipso*. (*En. 6. L. 8. c. 15.*)

13. Quartum veræ, & summæ pulchritudinis decus est redundare, & diffundi extra se in alios absque ullo pulchritudinis suæ detrimento. Talis siquidem, teste D. Thoma, causarum omnium natura est, ut non antea propagari extra se incipiant, quàm justum incrementum, & debitam perfectionem consecutæ in se ipsis fuerint. (*1. p. qu. 78. a. 2.*) *Est enim rei jam perfectæ facere alteram, qualis ipsa est*. Quocirca, & si nullum aliud nobis suppeteret argumentum plenitudinis, secundum quam DEUS pulcher est in se ipso, colligere eam

eam fatis possemus ex incomparabili sua rerū
pulchrarum fecunditate. Cū omnes tot,
tāque variæ, quæ in mundo cernuntur, pul-
chritudines nihil sint aliud, quàm effectus ab
ejus intuitu, aspectūque producti. Fac, age,
aliquam in terris esse Helenam, quæ solum-
modo intuendam se præbens, similes sui effi-
ciat, inque pulchros ex deformibus spectato-
res suos convertat. Quisnam, rogo, non
summo opere admiraretur formositatem suam
fecundam, suique adeò profusam? Imò
quisnam etiam è remotis regionibus non con-
curreret ad eam contemplandam, & in sese
tali pacto exprimendam? At portenta hujus-
modi non nisi à DEO edi possunt. Illius pro-
pria est hæc mira suæ pulchritudinis in suos
spectatores diffusio, eamque incredibili suo
bono experiri universis cælitibus datur, qui,
prout scribit Apostolus, (2. ad Cor. c. 3.)
*Revelata facie gloriam Domini speculantes, in ean-
dem imaginem transformantur*: quemadmo-
dum nobis quoque datum iri speramus, cū
a terrestri hoc exilio in cælestem patriam ac-
cesserimus, (Joa. Ep. 1. c. 3.) *Similes ei erimus, quo-
niam videbimus eum, sicuti est*. Quanquam non
adeò est mirandum, si, coram spectatus, no-
vam illam, tāque eximiam sui speciem in
ani-

animabus, & spiritibus naturâ cæteroqui pulcherrimis imprimat, qui ipsammet deformitatem, purum scilicet nihilum intuens, potest ibi confestim speciosissimis mille modis seipsum repræsentare, & innumerabili suarum imaginum varietate tenebricosum illud vacuum replere. Et verò, nonne hoc tam mirabile ostensum in primæva mundi creatione ab eo exhibitum cernimus? Respexit unquampiam nihili partem; & ecce ibi apparet ab efficacissimo illo obtutu producta terræ moles, & quidquid in ea est animalium, plantarum, metallorum, gemmarum. Intuitus est alteram; & en ibi effulgent sidera, & cæli. Vertit se ad aliam; & en ibi eodem temporis puncto impressæ videntur formosissimæ tot sui effigies, quot Angelici spiritus sunt. Quàm igitur plenam, perfectam, atque immensam eam esse dicemus pulchritudinem, quæ tetrum, atque informe nihili chaos sola sui obtutûs virtute in mundum, tot undique ventosissimis formis distinctum convertit: quæque, cùm innumeram rerum pulchrarum varietatem suo è sinu profuderit, multò adhuc potest majorem, sempérque in infinitum majorem profundere: quin omnia, quæ indè sive hæctenus exundârunt, sive per totam deinceps

xter-

eternitatem exundare possunt, earum diluvia plus unâ aquæ guttâ præ immenso illius Oceano videri; aut tantula, quantâ est aquæ gutta, particulâ infinitam diminuere illius plenitudinem queant?

14. Quibus rite perpensis nihil jam superest, nisi ut colligamus cum Platone, si tantum suo visu nos afficiunt sensibilia hæc objecta, quorum pulchritudo, utpote corruptio-
 ni obnoxia brevî in deformitatem convertetur; & licet etiam perpetua, atque immutabilis foret, haud tamen pura, & plena pulchritudo est, neque insuper ad eorum essentiam pertinet, sed quasi aliquid distinctum illi advenit, ac demum ceu finita, nec ipsismet omnino decorandis sufficiens, nequit sese in quoscunque alios diffundere: si, inquam, obstrata hæc objecta suo imperfecto decore tantam nos oblectandi, suumque in amorem capiendi vim habent; qualenam existimari poterit sit summum illud, & incomparabile obiectum, cujus pulchritudo non modò nunquam deficere, sed neque imminui, aut in deterius mutari potest, neque ullâ turpitudinis misturâ inquinatur, sed veluti pura pura pulchritudo est; ita ex omni sua parte sincerissimam, plenissimamque jucunditatem spirat:

ne-

neque aliquid ipsius 'essentiæ adventitium, sed idem omnino quod illa est: nec denique ipsum tantummodo pulchrum penitus facit; sed infinitis quoque aliis objectis citra ullam sui diminutionem impertire se potest? objectum denique, ut divini Areopagitæ verbis concludam, *plusquam pulchrum, secundum eadem, & eodem modo pulchrum, neque augescens, neque decrescens, nec ex parte una pulchrum, ex alia verò deforme, nec aliàs pulchrum, aliàs verò non: sed ut ipsum secundum se uniforme semper existens pulchrum, atque fontanam universi pulchri pulchritudinem in se ipso eminenter anticipans, præhabensque.* (De Div. Nom. c. 4.)

CAPUT XXIX.

Eadem divinæ pulchritudinis excellentia demonstratur ab effectis, ab incomparabili scilicet gaudio, & amore, quo spectatores suos afficit: concluditurque, quanti momenti sit, altè impressam, & consignatam in mente illius speciem habere.



Argumenta, quibus in superiori capite ad probandam incomparabilem divinæ pulchritudinis excellentiam.